

2074

/ Ill/me et Rev/me Domine,

Ill/mae Dominationis Vestrae litterae superiori anno 1618 red-
ditae mihi fuerunt, et sane jucundissimae, quae mihi Ill/mae D.V.
optimae valetudinis optatissimum afferebant nuncium; idipsum Pa-
5 tres, qui Roma venerunt, testati sunt; omnes aequae Ill/mam D.V.
longaeva aetate senem confirmant, senio negant confectum. Faxit
Deus O.M. ut haec Ill/mae D.V. incolumitas in diuturnos prorogetur
dies, donec infantula haec Madurensis Ecclesia in virum coales-
cat perfectum plenitudinis Christi. Rerum Madurensium statum et
10 rationem ab Admodum Rev.P.N.Generali Ill/ma D.V. cognoscet. Ex
Pontificii diplomatis praescripto, Madureo Cocinum veni, inde Cran-
ganorem, ubi R/mo Archiepiscopo ut una mecum Goam pergeret, facil-
lime persuasi; vir enim est proprii immemor commodi, alienae stu-
dens salutis, nec proprio labori parcens dummodo commissae oves sa-
15 lubri recreentur quiete; itaque cum tanto Praesule Goam enavigavi
adversa sane triginta dierum velificatione, quae ut plurimum in-
tra decimum diem confici solet. Goam delatus illius urbis Antis-
titem conveni, Pontificium reddidi diploma, adventus nostri caus-
am exposui; at ille, apud quem Madurensis causa erat praejudicata,
20 brevi temporis spatio se finem ei quaestioni impositurum spopondit
; fecitque ultra votum poscentis; omnia perfunctorie discussa, tu-
multuarie agitata. Patres Societatis omnes tum Goanae tum Malaba-
ricae Provinciae una nobiscum in eandem conspirant sententiam, ut
ex eorum testimoniis jure jurando firmatis Ill/ma Dominatio V.
25 cognoscet. Patres vero Goanae Provinciae qui olim Madurense insti-
tutum acerrime impugnaverant de illius fundamentis in praesentia
certiores effecti, non solum illud comprobarunt, sed citra scelus
omitti non posse constanter asseveraverunt, nec mirum, quod eos qui
illud idem institutum non ulla animi perturbatione, sed sinceræ
30 veritatis zelo aversabantur, divinae gloriae studium ac ejusdem
perspectae ac exploratae veritatis amor, in oppositam compulerit

/ sententiam: idem quoque sentit D.Joannes Franciscus de Almeida
haereticae pravitatis Inquisitor (hic enim duo sunt Inquisitores
aequalis omnino dignitatis ac muneris, qui primarii Olysiponensis
imperium agnoscunt) vir sane genere, pietate, doctrina spectatissi-
5 mus, atque de me deque Madurensi causa optime meritus; cui pergra-
tum mihi quoque fuerit si Ill/ma Dominatio V. meo nomine gratias
agat, et si de dederit occasio, cumulatissime referat. Sed quamvis
horum omnium sententiae Madurensis causae victoriam polliceantur,
me tamen Ill/mae D.V. litterae maxime confirmant, in iis enim non
10 modo jubet me bono esse animo, sed certissimam victoriae spem fa-
cit dum ait, tametsi hujusmodi discussiones et consultationes in
urbe Goa fiant, omnia tamen Romae finienda sunt. Ill/ma D.V. nobis
ac toti christianae Reipublicae diutissime vivat. Goae 18 februa-
rii 1619.

15 Ill~~u~~/mae ac R/mae D.V.

Indignus servus et filius in Christo

Robertus de Nobilibus

Ill/mo S Card.Bellarm/o

Varia ad Card.Bellarm.spectantia fol.222. Orig.

P.V.G.